

malueram niti, quam erroneis opinionibus Massiliensis Gennadii, qui plerisque præsumpsit in locis, tam fidei Catholica, quam beatorum etiam Patrum invictissimis auctoritatibus, infelicis Casiani perniciosum nimis dogma sequens reniti. RATRAMNVS etiam libro II. de Prædestinatione ab initio librum VI. Hypomnestici sub Augustini nomine citat, in Veterum Auctorum, qui IX. Sæculo de prædestinatione & gratia scripserunt operibus & fragmentis a GILB. MAUGVIN editis Tom. I. p. 62. Illos tantum commemorabo, qui argumentis nonnullis vel esse Augustini Hypomnesticon vel non esse data opera probare conati sunt. Ad illos pertinent HINCMARVS, & PARDVLVS Episcopus Laudunensis, ad hos PRVDENTIVS, FLORVS, REMIGIVS et cum utroque Ecclesia Lugdunensis. PARDVLVS in Epistola, cujus fragmentum asservavit REMIGIVS & Ecclesia Lugdunensis in libro de tribus Epistolis p. 132. in Collectionis Maugvinianæ Tomo II. scribit, *inter nostros maximam fuisse contentionem, cum quidam dicant Augustinum edidisse libellum, quem Hypognosticon praintitulavit, quidam dicant, non a præfato viro eundem libellum esse editum.* Doleo nonnisi pauca superesse hujus contentionis documenta & argumenta; quæ vero supersunt eo diligentius considerabimus.

§. III.

HINCMARVS in Diss. post. de prædestinatione Dei & libero arbitrio adversus Gotheschalcum & ceteros Prædestinatianos p. 10. editionis Sirmondianæ, postquam argumenta adversæ partis contra suam sententiam destruere conatus erat, Augustinum autorem esse Hypomnestici his duobus argumentis probare voluit: „I. Quod Episcopi Africæ provinciæ in Epistola (quæ „ipforum nomine a FVLGENTIO Ruspensi scripta, & in Fulgentii operibus reperitur, & in Augustini operum a Benedictinis „editorum Tomo X. Appendicis p. 102. sqq.) ipsa B. AVGVSTINI
„ verba